

NOVA PRÆFATIO

De Causis, ordine & progressu Libri.

Singulare prorsus, & nunquam satis ullius
lingvâ deprædicandum DEI immortalis be-
neficium est, quòd ex æternâ majestatis suæ
sede prædiens essentiam ac voluntatem su-
am hominibus, per Scripturas propheticas & a-
postolicas, patefecit, & quomodo ab ijs coli ac
invocari velit, præscripsit: Absque eo enim si
esset, nemo hodie de ipso & rebus supernaturali-
bus quicquam sciret, aut de salute æternâ, qua
per peccatum excidimus, recuperandâ ullâ ex
parte laboraret. Ut enim ignoti, quantumvis
summi boni, nulla cupido, ita nec nulla ejus,
etiam tum, cum exhibetur, delectatio aut gaudij
sensus esse solet. Ideò infantes puppis ac crepita-
culis præ amplissimis hæreditatibus delectantur,
quas maturâ ætate & intelligentiores facti bonis
humanis omnibus deinceps anteponunt.

Non revelavit autem Deus ea tantùm, quæ à
salvandis omnibus ad beatitudinem æternam
adipiscendam requiruntur, sed plura insuper a-
lia, quæ non omnibus omninò hominibus, sed
Doctoribus saltem, nec semper aut ad fidem ha-
bendam, sed eandem potiùs explicandam, pro-
bandam & confirmandam, aut contra hæ-
reticos defendendam, aliove modo necessaria
sunt.

In-